

## M i s c e l l e n .

### Caroli Friderici Hermannii Parerga critica.

#### I.

Q. Fabius Maximus, si Ciceronem audimus de Senect. IV. 11, consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis quoad potuit restitit agrum Picentem et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti; id vero, si alios testes respicimus, non omnino recte traditum videtur. Mitto Charisium, qui Instit. gramm. II. 14. 262 hunc ipsum locum ita laudat: 'Sp. Carvilio C. Flaminio trib. pleb. quoad potuit Fl. Maximus restitit agrum Picentem et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti'; qui quum non alium auctorem sed ipsum Ciceronem sequatur, aliam narrationis formam ante oculos habere non potuit; ne autem huius potius quam Charisii verba corrupta esse censeamus, praeter codicum omnium consensum illud maxime efficit quod multo facilius apparet, quo modo verba *collega quiescente* apud grammaticum ommissa sint, quam unde Ciceroni obtrudi potuerint: nec probabile est Sp. Carvilius, qui a. u. 520 cum Postumio Albino consul fuit, a. 521 vel 522 tribunatum cum Flaminio gessisse. Atqui hoc certe tempore Flaminium tribunum fuisse dudum viri docti collegerunt ex Polyb. II. 21: *μετὰ τοῦτον τὸν φόβον ἔτει πέμπτῳ Μάρκου Λεπίδου στρατηγοῦντος κατεκληροῦχησαν ἐν Γαλατίᾳ Ῥωμαῖοι τὴν Πικεντίνην καλουμένην χώραν . . . Γαῖου Φλαμινίου ταύτην τὴν δημαγωγίαν εἰσηγησαμένου καὶ πολιτείαν*: quod si Cicero post quadriennium demum Sp. Carvilio Q. Fabio iterum coss. legem agrariam a Flaminio latam esse narrat, Polybius certe et antiquior

et melior auctor ipsi adversatur. Quid igitur? num alios Cicero auctores habuit, quorum chronologia quadriennii discrimine a Polybiana discreparet? Est sane quod quis huius ipsius aetatis chronologiam iam a veteribus confusam esse suspicetur, si quidem Gellius N. A. IV. 3 primum divortium M. Atilio P. Valerio coss. factum esse tradit, quod Dionys. Hal. II. 25 quadriennio ante M. Pomponio C. Papirio coss. accidisse docet; at enim ipse anni numerus 523 apud Gellium Dionysianis potius consulibus respondet, multoque veri similis est Gellium oculorum errore in alienos consules incidisse quam aut anni notam corruptam aut ab aliis alios consules traditos fuisse; apud Ciceronem autem etiam facilior explicandi erroris via patet. Nimirum nescio qua caecitate a Pighio inde omnes tribunatum Flamini in eundem annum 522 coniecerunt, quo Polybius agrum Gallicum divisum esse ait; mihi vero necessarium videtur legem, eam praesertim, de qua tantis utrinque studiis dimicatum esse constat, ut ipse Flamini pater filium concilium plebis habentem de templo deduceret (Cic. de Invent. II. 17), superiore anno perlatam esse, unde sequeretur ut Flaminius iam a. u. 521 tribunus plebis fuerit. Atqui eo anno Q. Fabium primum consulem fuisse constat; neque illud dubitari potest, quin Sp. Carvili primus consulatus in annum ante Fabium 520 u. c. incidat (Zonar. VIII. 18); quibus si hoc adieceris, tribunos plebis inde ab anno 305 magistratum a. d. IV Id. Decemb. adisse (Niebuhr röm. Gesch. T. II, p. 430), consularem autem annum illa aetate post Idus Apriles demum initium habuisse (cf. eund. T. III, p. 695), facile apparet Flamini tribunatum, etiam si maiorem anni 521 partem cum Q. Fabio et M. Pomponio coss. communem habuit, tamen etiam antecedentium coss. Sp. Carvili et L. Postumii extremos quatuor vel quinque menses occupasse. Inde vero omnem Ciceronis errorem explicandum esse arbitror; legerat is videlicet Flamini legem perniciosam ferenti Sp. Carvili consulem non obstitisse, ut vel paterna auctoritate ad eum coercendum opus esset, eidem

autem Q. Fabium itidem consulem summa vi repugnasse: nonne facillime in eam opinionem incidere poterat, ut Carviliū collegam Fabii in eo consulatu fuisse existimaret? praesertim si eosdem alterum consulatum una gessisse norat, qui etsi, nisi egregie fallor, ex solo nostro loco in fastos relatus est, ipso tamen Ciceronis errore confirmari videtur; quanvis enim non is sit Cicero, quem in rerum Romanarum memoria omnis confusionis expertem dicamus, vix tamen puto eum collegas in consulatu dicturum fuisse, qui non aliquando eo magistratu simul functi fuerint. Ita autem tota difficultas expeditur, tantumque abest ut Cicero aliam temporum rationem secutus sit, ut ipsius error ex eadem chronologia explicationem habeat, quam Polybio ante oculos fuisse consentaneum est; adiit tribunatum Flaminius a. d. IV Idus Decemb. Sp. Carvilio L. Postumio coss. a. u. 520 eumque deposuit eodem die anni proxime sequentis 521, cuius consules a fine Aprilis erant Q. Fabius et M. Pomponius; his igitur consulibus legem agrariam tulit, qua perlata sequenti anno 522 M. Aemilio et M. Publicio coss. ager Gallicus et Picenus viritim dividi coeptus est; nec quod Cicero haec omnia quadriennio post facta esse ait, aliter accipiendum est, quam ut is ea, quae primum Sp. Carvilio, deinde Q. Fabio coss. gesta erant, in eum annum coniecerit, quo hos duos alterum consulatum simul gessisse nosset.

## II.

Nobilissima Ciceronis oratio, quam nomine quidem pro P. Sestio, revera autem pro se ipso ita habuit, ut nunquam propius ad immortalem illam Demosthenis pro Corona accessisse videatur, quo foediora passim menda per librorum negligentiam contraxit, eo diligentius nostra potissimum aetate quum ab ipso Tullianorum librorum vindice Orellio iteratis curis tractata est, tum peculiare sibi medicos invenit Madvigium in Opusc. p. 411 sqq. et Bakium in Hypomnem. T. I. p. 49; qui licet hinc inde modum in scirpo quaesiverint

et difficultates praeter necessitatem moverint, magnam certe corruptelarum partem et feliciter indagarunt et sive codd. ope sive beatissimis ingeniis ducibus ita correxerunt, ut multo purior nunc Tullianae ubertatis haustus pateat. Restant tamen vel sic, quorum ne illi quidem depravationem aut omnino sensisse aut ea probabilitate sustulisse videantur, quae alios a simili conamine deterreat; quo in genere quantum sublegerit Wesenbergius in Obs. criticis ab Ed. Wundero in Zeitschr. f. d. Alterth. 1838, N. 21 laudatis, amplius non novi; nonnulla mihi ipsi succurrerunt, quum ante hoc biennium praestantissimum eloquentiae Latinae monumentum auditoribus Marburgensibus explicarem. Sic, ut hoc utar, c. LXVII, §. 141 illud quidem praeclare Madvigius ostendit, *defendentem* non alia constructione dici potuisse quam sequens *oppugnantem*, sed subiectum esse verbi *occidere*, quod si ex hac ratione pro *perire* accipiendum est, in verbis *non aliud* mendum latere patet; idem tamen quod pro his legendum suasit *magis*, non magis quam Bakii coniectura *melius* aut literarum ductibus respondet aut eam gravitatem prae se fert, quam Ciceronis sententia flagitare videtur. Sensit hoc etiam Orellius, qui in novissima editione a. 1824 eandem sententiam per id quod est *satius* declarare maluit, usu prorsus Ciceroniano, ut Invent. II. 32: *quidvis perpeti, mori denique satius fuisse, quam eiusmodi necessitudini obtemperare*; Att. VII, 1: *video cum altero vinci satius esse quam cum altero vincere*; Verr. II. 2. 36: *reperitus est nemo quin mori diceret satius esse* etc.; at enim literarum auctoritas nec huic scripturae favet, quodque primum *satius sit in aliud sit* corruptum, deinde negationem inculcatam esse statuit, in altero hebetiores, in altero callidiores librariorum fingit, quam plerumque fuisse deprehenduntur. Argutius olim Schützius *optabilius* legendum coniecerat, in quod etiam incidit Dobracus Advers. II, p. 376; mihi vero commodissima emendatio videtur *nobilius*, ut apud Horat. Od. I, 12, 36 *Catonis nobile letum*, quod etsi ipsius Ciceronis verba exprimere neuliquam dixerim, nobilitatis tamen

vocabulum morti in patria defendenda obitae apprime convenire ostendit. Sed haec, quoniam de verbis magis quam de sententia quaeritur, in medio relinquam; gravior disceptatio est in iis quae c. LI §. 110 de L. Gellio narrantur; quem postquam Cicero bona paterna solum comedisse perhibuit, secundum codd. lectionem his verbis pergit: *deinde ex impuro adolescente et petulante, posteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio literarum se subito dedit; nihil sane Attae iuvabant anagnostae libelli pro vino etiam saepe oppignerabantur; manebat insaturabile abdomen, copiae deficiebant.* Atque in his corrupta esse verba nihil sane attae vix nunc fuerit qui neget; nam quod Matthiaeus ad orat. sex p. 157 de Atta togatarum scriptore cogitavit, cuius carmina idiotarum delectationi scripta philosophorum non amplius retinuerint, iam a Weicherto Poet. Lat. reliqu. p. 345 et O. M. Müllero Cur. secund. p. 102 vel ea de causa explosum est, quod in hac sententiae parte iam non novum vitae genus pristino opponitur, sed ipsa transgressio ad literarum studia tam exiguos fructus habuisse dicitur, ut vel horum supellex passim in voluptatis et luxuriae instrumenta converteretur; id vero quum in libellis pro vino oppigneratis manifestum sit, in anagnostis nec per se patet, neque interpretum acumine, quantum equidem sentio, ex corruptorum verborum vestigiis satis adhuc erutum est. Mitto Klotzii levitatem, qui difficillimum negotium ita expedire satigit, ut verbis dubiis protinus omissis sola haec scriberet: *nihil iuvabant anagnostae*; quo facto tantum abest ut integritas loci restituatur, ut etiam magis desideremus illud acumen, quo consentaneum erat Ciceronem facetissimum hominem ut libellis, ita etiam anagnostis aliquid opponere, quod non solum negationem fructus, verum etiam perpetuae luxuriae significationem aliquam contineret; sed nec illi, qui peculiare aliquid ex corruptis vocibus elicere conati sunt, id assecuti esse videntur, ut prioris membri vis posterioris acerbiterem aliqua-

tenus aequaret. Solus Bakius p. 113 longius progressus totum locum ita refinxit, ut ad propriam hominis indolem respiceret: *nec hic satiatum iuvabant anagnostae*; reliqui fere omnes in eo substiterunt, ut pro *Attae* aliud vocabulum quaerent, quod ad literarum ductus accedere videretur, ut v. c. Orellius: *nihil sane atomi vel canones pro attae* substituit, Kahntius in prolus. 1829 *Athenae*, Müllerus l. c. *nihil sane actae iuvabant et anagnostae*, Madvigius denique p. 490 *Attici iuvabant* legi iussit. Quos singulatim refutare longum est; illud tantum universe moneo, quod etiam Klotzium sensisse videtur, non solum *attae*, verum etiam *sane* corrigendum videri, quod omnem orationis vigorem abundantia sua debilitat significationemque a toto sententiarum nexu alienam praebet. Ne tamen vel Bakii correctionem amplectar, et audacia mutationis et sententiae ambiguitas efficit, quam etsi sequentia ita illustrare videantur, ut Gellius ne inter anagnostas quidem literarumque studia insatiabilem gulositatem deposuerit, ipsa certe verba etiam ita intelligi possent, quasi is tantorum amore arserit, ut ne anagnostae quidem ad eum satiandum sufficerent, neque satis apparet, quid anagnostis cum satietate rei fuerit, qui quum non post scenam sed inter ipsa convivia recitare solerent, omnino non satiatos sed esurientes delectarunt, ut nihil causae esset, cur Cicero hoc Gellio tanquam proprium aliquod vitium exprobraret; cf. Cornel. V. Att. 14, Plin. Epist. III, 5. IX, 36; Gell. III, 19 etc. Illud modo post Schützium et Müllerum recte Bakius defendit, anagnostas et libellos diversorum verborum subiecta esse; quorum sive alterum, *iuvabant*, ad utrumque retulerimus, in libellos quoque cadet, quod modo in vulg. lect. de anagnostis reprehendebamus, sive ante *anagnostas* interpunxerimus, mira erit servorum pro vino oppigneratio in ea praesertim verborum collocatione, qua gradatio etiam maiorem vim in libellis ponat; — quod si ipsa ratio eam sententiarum distributionem suadet, ut libelli quidem oppignerati sint, anagnostae autem nihil iuverint, obiectum quod potissimum horum adiumento

caruerit, nullum et literarum ductibus et sententiae accommodatius invenio quam *sanctitatem*, qua pro *sane allae* substituta et plenior oratio et ipsa cavillatio dici non potest quanto salsior existit. Neque enim pro helluone tantum reprehenditur Gellius, verum etiam pro impuro, hoc est libidinibus dedito, quibus contraria est sanctitas morum; cf. Philipp. III, 6: *quod in iuventute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? quis autem illo maledico impurior?* huic igitur consentaneum erat Gellium studere, postquam ex impuro adolescente philosophum se fecerat, ille vero adeo malis moribus insuerat, ut nec literarum studia quidquam ipsi ad eam rem conferrent, sed pariter ut libellos, quos coemerat, mox pro vino oppigneravit, ita vel eos servos, quos studiorum causa comparaverat, in libidinis instrumenta convertit. Atque hoc modo etiam anagnostarum mentio multo maius acumen accipit, quam si sola metonymia pro ipsis libris dicti essent; qui si pueri festivi fuerunt, Sosithei illius instar apud Cicer. ad Attic. I, 12, cuius mors vel gravissimum consularem magis quam servi mors debere videretur commoverat, apud hunc libidinosum et voluptarium facili corruptelae obnoxii erant, neque quidquam acerbius in inimicum suum Cicero dicere poterat, quam iisdem servis, quos libros de temperantia et sanctitate recitantes scilicet audire se simularet, ad intemperantiam et impuram consuetudinem abusum esse. At ne hac quidem emendatione persanatum locum esse arbitror, sed in antecedentibus quoque offendor prava et inconcinna oppositione, quae inter *idiotarum divitias* et *philosophorum regulam* obtinet; quam etsi antiquiores nonnulli pariter intolerabilem censuisse videntur, tamen nec ipsi vitium in vero loco invenerunt, nec recentioribus persuaserunt, quorum unus, qui antea in simili sententia fuerat, Moserus, mox in Symbol. crit. ad aliquot Ciceronis locos spec. II, Vlmae 1828. 4, p. 26 eo reversus est, ut omnia sana et integra esse praedicaret, regulam philosophorum ita interpretans, ut Gellius consumto patrimonio Stoicorum divitias habuerit, qui omnes esse divites

contenderint, qui coelo et terra frui possent. Mihi vero nunquam persuadebitur, solius regulae, hoc est placiti et normae, qua philosophi satietatem victus descripserint, eam vim esse posse ut divitiis simili contrarietate opponatur, qua philosophos idiotis opponi videmus; utque vel maxime fieri possit, ut is, qui sua sponte voluptates cum sapientia permutat, ex affluentia et abundantia ad regulam philosophorum, hoc est ad naturae leges redire dicatur, Gellium certe Cicero tum demum Graeculum se et otiosum putari voluisse ait, posteaquam patrimonio comeso necessitate ad eandem speciem reductus fuerit, qua alias philosophi noscerentur; quod nisi *divitias* cum Pantagatho in *delicias*, vel cum Manutio in *nequitias* mutare volueris, pro regula non frugalitatis tantum sed etiam paupertatis notio exspectanda est, quae divitiis eadem concinnitate qua philosophis idiotae respondeat. Quae quum ita sint, vix dubito quin simplicissima pariter atque convenientissima emendatio ea futura sit, ut *tegulam* substituamas, quae etiam alibi pro paupertatis infimique loci signo et peculiari quodam argumento habetur. Sic apud Sueton. de illustr. gramm. c. 9. Orbilius iam persenex *pauperem se et habitare sub tegulis* scripto quodam fassus esse dicitur, eademque sententia Iuvenal. III. 201:

*Vltimus audebit, quem tegula sola tuetur*

*A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae,*

id est pauper, qui in coenaculo conducto sub ipso tecto degit, *scalis tribus*, ut est apud Martial. I, 118, *sed altis*; philosophorum autem tegulam non ideo tantum dixit, quia illi hominem paucis contentum esse iubebant, sed etiam quia ipsi homines literati haud raro per tenuitatem victus reiue familiaris angustias in tales habitationes compulsi esse videntur; cf. Iuvenal. VII. 118 cum intpp. Nec difficilem mutationem esse ostendit Senecae locus Epist. 12, ubi quum olim *tegula* legeretur, nunc ex melioribus libris *regula* restituta est; quod si apud Iuvenal. II, 130 idonea causa appareret, quapropter vulg. *terram* mutaremus, longe profecto facilius quam Hein-

richii coniectura *gerram* foret *celtram* i. e. parmam sive *πέλτην* (Liv. XXVIII, 5; XXXI, 36), qua nihil magis conveniret deo Thracio (Herod. V. 7. Soph. Antig. 956. Virgil. Aen. XII, 331). Pellam enim Thracum propriam fuisse docet Clem. Alex. Stromat. I. p. 307: *ναὶ μὴν Θραῖκες πρῶτοι τὴν καλουμένην ἄρπην εἴρον . . . καὶ πρῶτοι πέλταις ἐπὶ τῶν ἵππων ἐχρήσαντο*, donec ab illis petita ad Graecos transiret, cf. Staveren. ad Cornel. Nep. XI, 1; ipsa autem ancilia Marti sacra Varro L. L. VII, p. 89 ita cum ea comparat, ut *ab ancisu dicta esse narret, quod ea arma ab utraque parte ut peltae Thracum incisa fuerint: modo igitur illic necessarium sit Martem clypeum cuspidem pulsare, aptior huius species inveniri non poterat, longeque praestabit γέτροις, crati vimineae corio inductae* (Taylor ad Demosth. adv. Neacr. T. V, p. 557 ed. Schaeff.), quam si vel maxime concedamus cum Harpocrate etiam ad alia scutorum genera transferri posse, rotundam certe, quod Heinrichus narrat, non fuisse claris verbis tradit Schol. Lucian. Anach. 32, T. IV, p. 219 Iacobitz.: *γέτρον τετραγώνον σκέπασμα ἐκ στερεᾶς βύρσης, ᾧ ἀντὶ ἀσπίδος ἐχρῶντο Σκύθαι κ. τ. λ.* At ne opus quidem esse mutatione apparebit comparanti Liv. VIII, 7, ubi Gallus a casu se attolens *cuspidem parmaeque innilitur*, prorsus ut apud Virgil. Aen. XII, 386:

*Alternos longe nitentem cuspidem gressus,*

quo ulitur etiam G. E. Weberus in Iahn. NJbb. T. XXXII, p. 123; ubi si cuspidem ad imam quoque hastae partem transferri apparet, nec nunc metuendum erit, ne terram pulsans aciem suam hebetet vel frangat; cf. Böttiger über den Raub d. Kassandra p. 56.

### III.

Defendimus Iuvenalis locum iniuria tentatum; liceat iam vicissim tentare Sat. VI, 151, ubi miror nullum interpretem offensum esse verbis *quantulum in hoc*, quae prorsus incongruam sententiam exhibent. Supplent plerique *poscit*, quo

facto hoc diceret poeta; uxorem pecuniam poscere ad pastores et ovem Canusinam et ulmos Falernas emendas, camque pecuniam per cavillationem exiguam appellaret, ut Plaut. Cistell. I, 2, 14: *quantillum silit? modica est, capit quadrantal.* At enim ad ea, quae domi non exsistent ideoque emenda sint, v. 152 demum transit:

*quodque domi non est et habet vicinus, ematur;*

quae igitur antea poscere mulier dicitur usque ad *pueros omnes ergastula tota*, iam praesto sunt atque ita tantum poscuntur, ut in illius possessionem transeant moxque divortio facto penes ipsam mancant; cf. Ovid. Rem. Amor. 671:

*munera quae dederis habeat sine lite iubeto.*

Id vero non ita declarari potest, ut uxor a marito pecuniam poscat in res, quas ipse paratas habeat, sed ipsae res, quas poscit, per cavillationem exiguae appellandae sunt; quae si recte disputavi, vide ne ita demum Iuvenalis mentem assequamur, ubi scripserimus:

*interea calet et regnat poscitque maritum*

*pastores et ovem Canusinam ulmosque Falernas*

*(quantulum enim hoc!) pueros omnes, ergastula tota etc.*

Notum est enim in codd. per notam *n.* exprimi; facile igitur fieri poterat ut in *in* transiret.

#### IV.

Inter difficillimos Iuvenalis locos merito habetur Sat. XII, 30 sqq.:

*quum plenus fluctu medius foret alveus et iam*

*alternum puppis latus evertentibus undis*

*arboris incertae, nullam prudentia cani*

*recloris conferret opem, decidere iactu*

*coepit cum ventis, imitatus castora etc.,*

ubi recte Rupertius haec annotavit: „semper miratus sum neminem interpr. haesisse in hoc loco, in quo duo genitivi, *puppis* et *arboris*, vel sine copula cum vocabulo *latus* iunguntur, neque commoda exoritur sententia, sive navim h. l. et

*puppim* et *arborem*, ut quidam putant, sive ut alii malum dici arborem censeas<sup>4</sup>; machinae vero, quas et ipse et alii poetae verbis aut emendandis aut explicandis adhibuerunt, mihi quidem omnes irritae fuisse videntur. Ac Schurzfleischii quidem coniecturam *arboris in curvum* iam Rupertius ut scabram et soloecam merito exposit; sed nec Iacobsii tentamen *aequoris incerti* (Matthiae Miscell. philol. T. I, p. 88) nec quod Heinrichius in *aequoris* locum substituit *marmoris*, eam lucem afferre videtur, in qua acquiescere possimus. Vix enim quidquam otiosius quodve maiore ieiunitate lectorum expectationem falleret subdi poterat, quam maris incerti mentio post fluctum et undas et totam tempestatis descriptionem, quae tali additamento profecto non amplius indigebat; utque concedam aequoris undas sine tautologia dici posse, si aliud epitheton propiorve definitio accedat, incerti tamen aequoris notio tantam vim habere non potest, quum ipsis undis alternum puppis latus evertentibus fluctuatio tam clare perscripta sit, ut Iuvenali certe, qui nihil minus quam ornamenta sola in epithetis sectatur, tantum frigus obtrudere non audeam. Neque a codd. auxilium peti potest, quorum etsi multi pro *incertae* offerunt *incerto*, hac ipsa tamen lectione nihil testantur, nisi librariis quoque grammaticisve antiquis vulgatam obscuram fuisse; ne enim elegantissimum poetam incertum arboris pro vacillatione vel ut barbare loquar incertitudine mali dixisse credamus, tota orationis poeticae dignitas vetat, nec quae Cramerus ad Schol. p. 462 ex Ictis suis eius significationis exempla attulit — Taciti enim *incerta maris et tempestatum* prorsus aliena sunt — quidquam efficiunt nisi ut intelligamus, quomodo labentis linguae aetate talis depravatio oriri potuerit. At nec vulgatae lectionis interpretationes, quas viri docti ad hunc usque diem tentarunt, ab omni parte mihi satisfaciunt. Quarum quae inde a Rupertio plurimis arrisit, ea est, ut *arbor* non pro malo sed pro ipsa navi accipiatur, ut apud Ovid. Heroid. XII, 8:

*Phryxam petit Pelias arbor ovem;*

quae notio quum iam in antecedenti *puppis* vocabulo contineri videretur, *arboris incertae* per appositionem aliquam cum illa contineri statuerunt; eaque explicatio quum ab E. G. Webero imprimis exemplorum copia defensa esset, et cognominem ipsius G. E. Weberum in Corp. poet. Lat. p. 1165 et N. Jbb. 1841, T. XXXII, p. 148, et Car. Schmidtium in Satiarum delectu (Bielefeld 1835. 8) p. 260 assentientes habuit et nuper etiam Iacobi (Quaest. epic. p. 128) suffragia tulit. Mihi vero talis constructio et durissima neque exemplis a Webero allatis satis confirmata videtur. Nam quod G. E. Weberus ait: *ich halte arboris incertae für echt, insofern der Dichter augenblicklich unbemerkt gelassen haben konnte, dass er zu latus bereits puppis als Genitiv beigefügt habe*, longe alia ratio est anacoluthiae, qua scriptor ex una sententiae enunciandae forma in alteram transit, alia nostri loci, ubi idem prorsus, tanquam nihil antea dixisset, vocabulo tantum mutato enunciaret; neque aliorum poetarum exempla apud E. G. Weberum oscitantiam potius quam epexegesin aut figuratam orationem produunt, quarum neutra in nostri loci explicationem cadit. Sophoclis certe verba Philoctet. 747 recte iam Buttmanus per *σχῆμα καὶ ὄλον καὶ μέρος* explicuit, eademque ratio erit Eurip. Herc. fur. 10 et Horat. Od. IV, 4. 15; in Statii autem Achill. I, 109 epexegesin vel particula *et* declarat, quae a nostro loco abest; quod si vel maxime *arbor*, ut *abies* vel *pinus*, pro tota navi dici possit, omni tamen auctoritate caret talis appositio, quae nihil prorsus novi neque emphasin aliquam afferret, sed soli epitheto attributivo pro fulcro synonymo adiecta videretur. Neque solus equidem ita iudico: immo etiam maiore vi repudiavit eam interpretationem Madvigius de locis aliquot Iuvenal. expl. disp. II, Hafn. 1837. 4, p. 10, vehementerque laetor virum Latini sermonis peritissimum mecum una intellexisse, *arborem incertam* pro navi instabili sine exemplo dici, nec *arboris* ullam nisi mali significationem esse posse; quam tamen ipse rationem inuit non magis probo quam Achaintrianam, quae et ipsa *arborem*

*incertam* ab *undis alternum puppis latus evertentibus* separat, quanquam de reliqua constructione rursus in diversas partes abeunt. Achaintrius nimirum ita verba iungenda censuit: quum, alternum puppis latus evertentibus undis, prudentia rectoris iam nullam opem conferret; scil. *periculo arboris incertae*; ubi non intelligo, quomodo vocabulum, unde ipsi genitivi pendent, pro arbitrio extrinsecus ascisci possit; nec tamen lenius Madvigius *arboris incertae* cum antecedentibus ita coniunxit, ut alveus plenus fluctu et arboris incertae, id est mali instabilis et iamiam casuri esse diceretur, ante *nullam* autem in vehementi et celeriter decurrente oratione particula et omissa sit; quorum etsi posterius non minus fieri potest quam apud Pers. Sat. VI, 53:

*age, si mihi nulla*

*Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis*

*Nulla manet patrui, sterilis matertera vivit,*

prius tamen et ipsa verborum structura obscuratum et ei sermonis Latini usui contrarium esse videtur, quo genitivi qualitatis internam potius quam externam notam indicant, cf. Ramshorn. §. 103, p. 302 huiusque censor Hoffmannus in Jahnni Jahrb. 1828, T. VII, p. 11. Multo igitur commodius existimo *incertae* vocabulum ad ipsam potius *puppin* ita referri, ut haec id est navis *arboris* incerta esse dicatur eodem modo, quo v. c. Seneca de Benef. VI, 28: *nec, inquit, tempestas occupavit portus et praesidii dubium*, hoc est quae arbori sive malo confidere diutius non possit et quasi dubitet, num amplius ea utatur, ut Cydippe *incerta salutis* apud Ovid. Heroid. XXI. 31; neque illud offendere potest, quod ex duobus genitivis, quorum alter ab altero pendeat, ambiguitas oriri videatur; talem enim veteres nunquam reformidasse ostendit v. c. Cic. ad Div. I, 9. 8: *magnus animorum motus est factus quum eorum quorum oportuit* etc. aliaque exempla apud Bremium ad Cornel. Nep. III, 1 et Frotscher. ad Xenoph. Hieron. I, 10, p. 13. Pariter et Graeci: Hymn. in Cerer. 104: *οἷοί τε τροφοί εἰσι θεμιστοπόλων βασιλέων παίδων*: Thucyd.

I, 141: ἀπὸ τῶν αὐτῶν: Plat. Symp. p. 181 B: ἔπειτα ὦν καὶ ἐρῶσι τῶν σωμάτων μᾶλλον ἢ τῶν ψυχῶν: Alcib. I, p. 131 B: ἀλλ' ἔτι πορρωτέρω τῶν ἑαυτῶν: Republ. IV, p. 433 E: τοῦ οἰκείου τε καὶ ἑαυτοῦ ἕξις: Aristoph. Nubb. 926: ὦμοι μανίας τῆς σῆς πόλεώς τε: Demosth. pro Cor. c. 6: περὶ ὧν ἐνίων: Plut. V. Aemil. Paul. c. 27: ἐκ τῶν πολεμίων χειρῶν etc. Mox autem *conferret* legendum esse, non *cum ferret*, quamvis facili confusione (cf. Corte ad Lucan. V. 520) non codd. tantum numerus sed etiam poetae usus suadet, qui identidem hoc verbo de auxilio praestando utitur; cf. I, 106, III, 51. 216, VII, 36 etc.

## V.

Docti adolescentis Batavi, R. C. Bakhuizen van den Brink, varias lectiones ex historia philosophiae antiquae (Lugd. B. 1841, 8) legentem denuo me advertit locus Herodoti II, 146, ubi pater historiae, ut Panem Liberumque ex Aegypto in Graeciam translatos esse efficiat, eum maxime Graecorum errorem arguit, quod illos deos ante pauca demum saecula natos esse narrent nec tamen talia de iis tradant, ut homines fuisse veri simile sit, qui in deorum nomina subreperint. Qua in argumentatione: εἰ μὲν γὰρ, inquit, φανεροὶ τε ἐγένοντο καὶ κατεγήρασαν καὶ οὔτοι ἐν τῇ Ἑλλάδι, κατάπερ Ἡρακλῆς ὃ ἐξ Ἀμφιρύωνος γενόμενος, καὶ δὴ καὶ Διόνυσος ὃ ἐκ Σεμέλης καὶ Πάν ὃ ἐκ Πηλεόπης γενόμενος, ἔφη ἂν τις καὶ τούτους ἄλλους ἄνδρας γενομένους ἔχειν τὰ ἐκείνων οὐνόματα τῶν προγεγονότων θεῶν: sed ut ἄλλους merito virorum doctorum offensionem moverit, quia sive ad τούτους sive ad ἄνδρας referatur, languet nec quidquam ad scriptoris sententiam confert, quae in eo tantum posita est, ut hos quoque dicat pariter ut Herculem, de quo II. 43 egit, si eodem modo inclaruissent et in Graecia consenuissent, pro hominibus haberi potuisse, qui priorum deorum nomina accepissent. Nec defuerunt qui eam difficultatem emendando tollere conarentur, ut Wesselingius, qui τοὺς ἄλλους rescribi iussit,

et Toupius, qui ἄλλως legendum suspicatus est ea significatione, quam ipse ad Longin. de Sublim. VII, 1 et Ruhnken. ad Tim. Lex. p. 199 docte illustrarunt, *nihil nisi*; at demonstrativo neutiquam supersedere possumus, quo ad Panem et Liberum, qui antecedunt, respici necesse est, nec Toupii coniectura quamvis scitissima persuadendi vim habet, siquidem nec illud constat, Atticum illius adverbii usum apud Herodotum quoque obtinere, nec contentui nunc locus esse videtur, cui is usus fere semper inservit; nisi igitur explicandi via patuerit, nova medelae ratio quaerenda erit. Atqui explicatio tolerabilis ita tantum inveniri poterit, ut cum Schaefero inverso ordine legamus ἄλλους γενομένους ἄνδρας, quo facto ἄνδρας quasi per appositionem insuper accedet; sin codd. auctoritas ἄνδρας γενομένους tuetur, non video quomodo aut cum Baehrio *hosce alios* interpretemur, aut cum Bakhuizenio p. 3 eam vim adiectivo tribuamus, ut illos a tertio Hercule distinguat, quorum utrumque τοὺς ἄλλους τοῦτους potius quam τοῦτους ἄλλους flagitaret. Quid multa? recogitemus ἄλλους facili confusione oriri potuisse ex ἄνους, quo compendio scribendi sexcenties ἀνθρώπους significari solet; quod si pro glossemate ad ἄνδρας adscriptum fuisse statuimus, nihil amplius causae erit, quapropter importunissimam vocem in orationis tenore retineamus, sed eodem iure eliminari poterit, quo ἀνθρώπους eiiceremus, si una cum ἄνδρας inter verba scriptoris remansisset. Emendationis vero eadem forma est quae apud Soph. Oed. Col. 547, ubi pro ἄλλους, quod in Codd. est, itidem Porson et Elmsleius ἄνους substituerunt, quod non debebam in Quaest. Oedipod. p. 10 alienius a literarum ductibus dicere; cf. et Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 921; immo nescio quomodo iam etiam magis arridet ἄνους quam ἐλὸς, quod post Reisigium et Hermannum plerique recentiores obsequiose probarunt. At si rem accuratius exegerimus, non ea defensione Oedipus utitur, ut Laium iure caesum esse arguat, sed ea potius lex est, qua se purum esse defendit, quod nescius patrem occiderit: quod

licet in sequentibus demum clare eloquatur, tamen neque in antecedentibus aliud argumentum sequi poterat, nisi hoc ipsum illegitimum videri vellet, quia tum verba: νόμιμα δὲ καθαρὸς αἰδοῖς ἐς τὸδ' ἦλθον in oppositione posita essent. Hanc igitur legem, qua imprudentes culpa liberabantur, in antecedentibus quoque spectare debebat; nec tamen prorsus idem est αἴνοις quod αἰδοῖς, sed eodem modo explicandum videtur, quo Antig. 603 λόγον τ' ἄνοια καὶ φρενῶν ἐρινύς puellam perdidisse dicitur, hoc est, ut tum quasi mente captus fuerit, unde nunc demum sequitur, ut lege purus sit, quia lex ignaris crimina imputari vetat.

## VI.

Variis interpretum explicationibus vexatus est Taciti locus Agric. c. 5: *nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit*; ubi quum plerique *retulit* cum antecedentibus *ad voluptatis et commeatus* iungerent, alius aliam constructionis rationem proposuit, nuper autem Wexius Beitr. zur Kritik und Erkl. v. Tac. Agricola, Schwerin 1840. 4. p. 5 omnium illarum pertaesus verba scriptoris corrupta esse censuit et hac transpositione sanare aggressus est: *nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, (eam) ad voluptates et commeatus, neque segniter titulum tribunatus ad inscitiam retulit*. Cuius in disputatione illud tantum probo, quod contra Waltherum monuit *referre*, si *reportare* significet, ad reditum in patriam domumque spectare, *voluptates vero et commeatus*, quo ille Agricolam tribunatus titulum reportasse voluit, urbis delicias et gaudia significare non posse; quod tamen et ipse cum Beckero, Walchio, Hertelio, Rothio *titulum tribunatus* ad *inscitiam* referri potuisse putat, mihi quidem non facile persuasibitur. Scilicet interpretantur ita, ut sit tribunatum titulo tantum tenus gerere, omnem autem eius vim ad voluptates et inscitiam dirigere; nec nego *referre* ita usurpari, ut apud

Cicer. de Leg. I. 20: *ad finem bonorum quo referuntur et cuius apiscendi causa sunt facienda omnia; titulum autem tribunatus vix ita dici posse arbitror, ut fecit Wexius interpretatus: noch hielt er schlaffen Sinnes den Tribunentitel für eine Berechtigung der Unkenntniß; nec nisi summa necessitate urgente talem prolepsim agnoscam, quali Rothii interpretatio nititur: er nahm sein Tribunat nicht so wie wenn er's bloss dem Titel nach zu führen und der Sache nach nur zu Zerstreungen und zum Urlaub anzuwenden hätte, quasi ipsis comitatibus et inscitia effecerit, ut tribunatum titulo tantum tenuis gessisse videretur. Titulus enim neque ipsum honorem neque appellationem honoris, den Namen des Tribunats, ut Walchio placuit, significat, sed inscriptionem, qua honores gesti literis consignantur, vel ius talis inscriptionis, quod quis honore gerendo accipit, neque ullum exemplum inveniri posse arbitror, quod metonymicum huius vocabuli usum eo usque progressum esse demonstrat, ut sine Germanismi crimine ab externa honoris testificatione ad eam dignitatem transferri possit, quae homini ex muneris quo fungitur nomine accedat. Cicero certe quod in Pison. c. 9 consulem requirit, qui *tanquam truncus et stipes titulum tamen consulatus sustinere possit*, ipsius inscriptionis imaginem servat, qua magistratus non tam nomini honoris quam externae eius speciei tuendae tanquam cippus titulo sustinendo idoneus appellatur; nec quod Sueton. Iul. c. 76 Caesarem tertium et quartum consulatum *titulo tenuis gessisse* narrat, eam vim habet, ut ille solo honore contentus officia muneris aliis reliquerit, sed ut simul etiam dictatura fungens consulatus memoriam ad numos tantum signandos munerumque gestorum numerum contulerit; apud Iuvenalem autem Sat. XI, 86:*

*Cognatorum aliquis titulo ter consulis atque*

*Castrorum imperiis et dictatoris honore*

*Functus ad has epulas solito maturius ibat,*

non ea sententia est, ut is consulis titulo quasi honore ter functus sit, sed *ter consulis* arctissime iungenda sunt, *functus*

vero per zeugma tantum ad titulum refertur, quasi *ornatus* antecesserit; — quod si nunc quoque titulus tribunatus non pro sola honoris et loci militaris significatione accipi potest, alia interpretatio circumspicienda erit, qua non splendor muneris ad commeatus vel inscitiam referatur, sed ipsam muneris gesti testificationem referri potuisse appareat. Atque hic prorsus ad Wallheri sententiam accedo, qui *referre* idem quod *reportare* esse vidit, modo ne ad commeatus, quod recte Wexius reiecit, sed quo unice posse idem intellexit, ipsam domum Romamque in patriam titulum tribunatus cum inscitia reportatum esse statuamus; ita vero si intellexerimus, et geminam tituli significationem et tantum sententiae acumen nanciscemur, quantum in altera interpretatione frustra quaerimus. Nimirum plurimos iuvenum senatorio loco natos stipendiis merendis illud tantum spectare ait, ut reduces in patriam tribunatus gesti memoria gloriari, eius testificationem vel in status, quae sibi fortasse ponerentur, vel in quolibet monumentorum genere prae se ferre possint, praeter hunc autem titulum propter segnitiam et licentiam in voluptatibus et commeatibus conspicuam nihil nisi inscitiam inde referre, solum Agricola non tribunatus titulum — de quo nihil antea dictum erat — sed rudimenta castrorum rectius collocasse, neque ad voluptates et commeatus conversum militarem disciplinam neglexisse, sed pro licentia anxietatem, pro segnitie industriam exhibentem iam tunc eam provinciae notitiam comparasse, qua olim in ipsa regenda opus futurum esset. Id vero si quis quaerat quomodo ex verborum lectione eruamus, quae nihil praeter ipsum *retulit* exhibere videntur quo praepositionem *ad* referamus, nota est structura, qua veteres in comparationibus negativis id verbum, quod utrique membro commune sit, non ut nos comparato sed ipsi comparationi addunt, ad illud autem per ellipsin supplendum relinquunt, ut v. c. Xenoph. Sympos. II, 17: ἢ εἰ τοιούτων γυμνασίων ἐπιθυμῶ, μὴ ὥσπερ οἱ δολιχοδρομοὶ τὰ σκέλη μὲν ταχύνονται, τοὺς ὤμους δὲ λεπτόνονται, ubi Herbstius similem locum com-

paravit Cyrop. IV, 3, 12. et 13, quaeque et ipse attuli ad Lucian. Hist. conscr. p. 313 et Rückertus ad Plat. Symp. p. 45; neque Latinos ab ea consuetudine abstinuisse Appuleius testis esto Metamorph. III, 18, p. 207: *in insani modum Aiacis armatus, non ut ille vivis pecoribus infestus tota laniavit armenta, sed longe fortius qui tres inflatos caprinos utres exanimasti*, ubi itidem ex *laniavit* in comparatione *laniasti* repetendum est: — quod si nunc negatur Agricola more iuvenum egisse, qui militiam in lasciviam verterent, non sane difficulter ex ipso *vertendi* vocabulo participium ad praepositionem *ad* referendum repeti poterit, ut hic sensus sit: *neque Agricola licenter . . . neque segniter ad voluptates et comectatus scil. conversa militiam*, quod ex antecedentibus *qui militiam in lasciviam vertunt* repetendum est, *nihil nisi titulum tribunatus et inscitiam in patriam retulit*. Illud tantum huic interpretationi opponi possit, quod Gernhardus ad Cic. de Senect. p. 293 de *inscitiae* et *inscientiae* discrimine disseruit, quo etiam Iacobus in Iahnii Jahrb. 1828. T. VII, p. 181 motus esse videtur, ut *inscitiam* ad temeritatem iuvenilem potius quam ad ignorantiam referret; at argenteae certe aetatis alium usum esse et *inscitiam* etiam pro ignorantia dici posse ostendit v. c. Dial. de Orat. c. 10: *inscitia literarum*, et Quintilianii exempla apud Bonnellum in Lexico p. 431.

## VII.

Longe difficilior causa est eiusdem vitae c. 6. ubi ipsi codd. Vaticani ita variant, ut alter *modo rationis atque abundantiae*, alter *medio* utriusque Agricolam *ludos et inania honoris duxisse* tradat; nec quamvis sententia satis clare appareat ex sequentibus: *uti longe a luxuria, ita famae propior*, haec ipsa tamen quomodo cum antecedentibus conciliarent, variis modis interpretes tentaverunt. Nam Beckerus, Bachius, Hertelius *medio* praetulerunt, eamque lectionem consensu suo approbaverunt duo viri elegantiarum Latini sermonis peritissimi, Iacobus Quaest. epic. p. 123 et Iahnus NJbb. T. XXXI,

p. 327, neque alieni ab ea fuerunt Peerlkampius et Rothius; nisi quod ad *inania honoris* quae praecedunt *media* magis convenire arbitrabantur; *modo* autem receperunt Waltherus, Walchius, Dronkuis, probantibus Frid. Iacobo in Iahnii Jahrb. 1828, T. VII, p. 184, Fossio in Quaest. crit. Altenburgi 1837. 4., Wexio Beiträge p. 26 sqq., Herzogio Observ. partic. XII, Gerae 1840. 4; quanquam hi quoque et de *ducendi* verbo et de ipso vocabulo *modo* ita discrepant, ut quum plerique ablativum substantivi esse censuissent, Fossius et Wexius adverbii potius vim gerere contenderint: Lipsii denique coniecturam *moderationis*, cui et Bipontini et Oberlinus locum dederunt, nuper etiam Böttcherus in Lexico Tac. p. 306 defendit nec Rothius se ab ea abhorreere significavit: qua in controversia si quis novam ipse viam ingrediatur, facile alternis interpretum argumentis, quibus inter se depugnarunt, uti poterit. Nec tamen omnes pariter a recta via aberrasse arbitrator. Atque omnium longissime ab iis recedo, qui *modo* pro adverbio interpretati sunt; quo facto sive cum Fossio Agricola *nihil nisi suam hoc est muneris rationem spectandam censuisse* velis, rationem sic absolute dici merito Wexius negavit, sive cum hoc ipso *honoris rationem* coniungas, et *inania* nimis nude dictum crit, et ipsum rationis vocabulum mirum in modum languebit, quia ei sententiae sufficiebat scripsisse: *honoris modo et abundantiae duxit*; ipsa praeterea quae sequuntur clarissime docent rationem et abundantiam non eodem existimationis genere comprehendi posse, sed simili modo inter se opponi quo luxuriam et famae neglectum, quorum ut alteri abundantiam, ita alteri rationem respondere manifestum est. Quanquam hoc etiam Walchio opponi potest, qui etsi *modo* pro ablativo habuit, genitivum tamen utrumque ita coniunxit, ut et rationem et abundantiam id est facultates eundem modum describere arbitraretur; neque Herzogius hanc oppositionem servavit, qui quamvis recte intellexerit *abundantiam* non solas *facultates* declarare posse, eandem nihilominus ita interpretatus est, ut ratio et abundantia quasi per *ἐν δὲ*

*δοῦν* pro ea ratiocinatione dictae essent, quae abundantem et superfluum rei familiaris partem a necessaria discerneret: ut mittam *ducendi* significationem, quam ad hanc interpretationem contulit, in ludorum instaurationem omnino cadere non posse, quia id tantum *duci* dicitur, cuius tempus expectationem superat, non autem quod intra certum modum restringitur, ut ludi, quos si quis belli instar *ducere* vellet, ita instituire deberet, ut spectatores consuetum finem desiderarent. Quae quum ita sint, si maxime genuinam esse lectionem *modo* constaret, ita tantum interpretari possem, ut Agricola ludos eo modo instituendos censuerit vel existimavit, quem ab altera parte ratio, ab altera abundantia suaderet, ut luxuriam quidem evitaret, nec tamen famae detrimentum pateretur; eoque etiam Frid. Jacobi interpretatio proxime accedit: *Spiele und sonstige Eitelkeiten seines Amtes schätzte er nach dem Maasse berechnender Einsicht und reichlicher Darbringung ab, zwar weit entfernt von übertriebener Pracht, doch dem Rufe sich mehr hinneigend.* At enim id ipsum longe commodius et manifestius declaratur per alteram lectionem *medio*, quae simul et oppositionem duorum membrorum evidentissime proponit, et ipsa viae imagine *ducendi* vocabulum illustrat: quod non melius exprimi posse puto quam his verbis viri docti, qui Rothianae editionis censuram egit in Leipz. Liter. Zeit. 1833, N. 113, p. 901: *mitten durch beide Klippen, ratio, knickernde Berechnung, und abundantia, leitete er seine Leistungen hindurch, weit entfernt sich durch Verschwendung zu ruiniren* etc., neque aliter Iahnus l. c. p. 327: *die öffentlichen Spiele und den übrigen eiteln Tand seines Amtes hielt (führte) er in der Mitte zwischen Berechnung und Ueberfluss, d. i. in der Mitte der beiden Gränzpunkte, wo die Berechnung und der Ueberfluss stehn.* Illud tantum in hac quoque interpretatione me offendit, quod *rationis* vocabulum a genuina significatione ad eam detorqueri videtur, quam ne Tacitum quidem adeo nudam et ancipitem positurum fuisse arbitror, ut sit cauta et sollicita ratiocinatio, quali avarus a magnis sumtibus faciendis deter-

reatur; quamvis enim Iacobus exemplis Histor. II, 25 et 80 rationem interdum pro prudentia et cautione dici probarit, hanc ipsam tamen prudentiam in hoc argumento magnificentiam potius ludorum vel avaro suadere potuisse insignissimum Persii testimonium Sat. VI, 50 sqq. ostendit; nec quo Iahnus confugit, ut aut rationem a plerisque servatam aut solennem et constitutum ab Augusto modum eo vocabulo significari staret, aliter in meum usum convertere possum, nisi ut virum Latini sermonis gnarissimum ipsum de ratiocinationis vel sollicitudinis illius convenientia dubitasse libentissime intelligam. Eam vero rationem, quam plerique servarint, quomodo abundantiae Tacitus opposuerit, vix intelligo, quum cum potius plerorumque morem fuisse constet, ut insanis sumtibus inter se certarent, quam talem modum servarent, quem vel transgressus Agricola laudari a genere potuisset; neque eum modum, quem Augustus ludis a praetoribus edendis proposuerat, minimam sed maximam impensarum summam descripsisse docet Dio Cass. LIV, 2: *καὶ τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας προσέταξεν, ἕκ τε τοῦ δημοσίου δίδοσθαι αὐτοῖς κελύσσας καὶ προσαιπειπὼν μήτε εἰς ἐκείνας οἰκοθῆν τινα πλείω τοῦ ἑτέρου ἀναλίσκειν, μήθ' ὄπλομαχίαν μήτ' αὖ πλεονάκις ἢ δις ἐν ἑκάστῳ ἔτει μήτε πλειόνων εἰκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν*: quod si haec ratio abundantiae opponeretur, ne medium quidem inter utramque sine luxuriae crimine Agricola tenere potuisset; postremo nec quod plerique servarunt, *rationem* potius quam *morem*, nec quod legitimis finibus inclusum esset, illo potius quam *modi* vel *mensurae legitima*e vocabulo appellandum fuisse videtur. Nihil igitur restat, nisi ut aut eam vim, quam ratio plerumque teneat, abundantiae ita opponi posse demonstramus, ut qui medius inter utramque incedat, quamvis ab ipsa ratione desciverit, tamen vel sic aliqua laude dignus videatur, aut si hoc fieri non possit, aliud pro illo vocabulum substituamus, quod tali oppositioni cum abundantia sustinendae magis idoneum existat. Nam quod Peerkampius et Rothius in eo quod est *medio* vitium quaesiverunt

proque eo *media* reposuerunt, nec necessarium nec salutare arbitror, quum et ludi et inania honoris per se spectata multo propius ad abundantiam quam ad rationem accedant, et si vel maxime ad eam constructionem confugiamus, qua Graeci interdum verba existimandi omisso *δεῖν* usurpant (*κλάουσι παῖδες, πατέρα δ' οὐ κλάειν δοκεῖς*; Aristoph. Nub. 1419; cf. Heindorf. ad Plat. Protag. p. 595), ea semper difficultas manet, quam modo in rationis vocabulo contineri dixi, *medio* autem non magis offendet, quam in notissimo Ovidii loco *Metam.* II, 137; *medio tutissimus ibis*, ubi si quid supplendum, in promptu est *limite*, ut in loco nostri simillimo *Stat. Silv.* II, 3, 67:

*Tu cuius placido posuere in pectore sedem*

*Blandus honos hilarisque (tamen cum pondere) virtus,*

*Cui nec pigra quies nec iniqua potentia nec spes*

*Improba, sed mediis per honesta et dulcia limes;*

quod si quid mendi subest, in ipso *rationis* vocabulo quaerendum est. Atque erat quum ita certe Lipsiano invento me uti posse arbitrarer, ut iuncta cum codicis lectione coniectura scriberem: *medio moderationis et abundantiae*, quo facto simul etiam illud lucrari videbatur, ut aliqua via appareret, qua lectionis varietas in ipsis codd. exstitisset, omissa nimirum propter similitudinem literarum voce *medio*, quae si mox supra lineam adscripta erat, facile pro correctura in ipsius syllabae *mode* locum succedere poterat. Moderatio certe multo aptior videatur, quacum abundantia medio quodam limite conciliata in laudem vertatur, quam ratio, unde hominem, itidem ut Cicero ad *Attic.* XIII, 20 de recta conscientia dicit, ne unquam quidem transversum discedere oporteat; illa vero quamvis eadem sit quam Graeci *σωφροσύνην* appellant (*Cic. Tuscul.* III, 8) eoque nomine inter maximas virtutes locum habeat, hanc ipsam tamen vel Plato ita describit, ut sola ad virtutem non sufficiat, sed aliquo praeterea fortitudinis et magnificentiae temperamento indigeat, ne ad humilitatem et abiectionem animi delabatur; quumque *σωφροσύνη* simplicem

maxime et privatum hominem deceat, in principe rei publicae etiam ἀνδρεία accedere debet (Plat. Politic. extr.), quam Cicero de Offic. I, 19 et 44 recte *magnitudinem animi* interpretatur; postremo si vitam pro patria profundere fortitudinis est, dubitari nequit, quin pecuniae quoque impendia, si pro communi utilitate et ratione duce fiant, ad hanc potius virtutem quam ad *σωφροσύνην* pertineant, quae in tuenda potius re familiari omnique largitate vitanda cernitur. Huius enim proprium est, ut modum in omni re servet neque ultra fines a natura rerum vel loco inter cives sibi positos egrediatur; recte igitur obiicitur abundantiae, cuius ipsum nomen incontinentiam et finium migrationem arguit; quamvis autem plerumque parsimonia et modestia in summis laudibus habeantur, est tamen, ut Persii verbis utar, ubi vel de vivo cespite frangi aliquid deceat, idemque Cicero docet de Offic. II, 17. vitandam esse suspicionem avaritiae, et si postuletur a populo munificentia, bonis quoque viris si non desiderantibus, atamen approbantibus faciendum esse, modo pro facultatibus, denique in his omnibus optimam regulam esse *mediocritatis*, qua voce ut ipsa lectio nostra *medio* egregie confirmatur, ita si quaeramus, quid huic ipsi *medio* pro *extremo* opponatur, multo certe commodius abundantiae respondebit moderatio quam ratio, quam vel in abundantia inesse posse vidimus. Verum enim vero re accuratius perspecta vix eum Tacitum esse arbitror, cui talem philosophiam obtrudere liceat; immo si quaerimus, qua sententia alibi *rationem* dixerit, non dubito quin revera talem significationem inveniamus, quae ipsa nostro loco conveniat, neque adeo repugno ne ad *cautionem* illam redeamus, cuius superius Iacobum exempla posuisse dixi, modo ne ad rem familiarem et pecuniae impensas ea cautio referatur, sed ad ambitionem et auram popularem, quam respiciendam esse etiam inde colligimus, quod mox ut abundantiae luxuria, ita rationi fama respondet, cui ita appropinquasse dicitur, ut hac ipsa re medius inter abundantiam et rationem discederet. Omnium autem maxime in hac causa illud nos advertit, quod

paulo superius legimus c. 4 Agricolam, quum prima in iuventa philosophiae studium acrius quam Romano et senatori concessum hausisset, mox *ratione* et aetate mitigatum ex sapientiae studiis nihil nisi modum retinuisse; ubi quid sit *ratio*, clarissime ostendunt haec verba: *scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appetebat*, quibus cum sequentibus comparatis probabiliter intelligimus rationem nihil aliud esse nisi eam cautionem, quae vehementi gloriae cupidini obstet animumque excelsae speciei appetentem ad prudentiam et sobriam humanae condicionis recogitationem revocet, quali tunc maxime homo insigni et conspicuo loco natus indigebat. Huic igitur rationi si quis in ludis quoque instituendis obtemperare volebat, non modo non largitate et abundantia popularem auram captare opesque suas ostentare debebat, sed ne famae quidem aliquid indulgere tutum erat, Nerone videlicet imperatore, cuius temporibus, ut ipse paulo ante ait, inertia pro sapientia fuit, ipsaque gratia, qua quis propter munificentiam et largitatem apud plebem fruebatur, apud principem suspiciosum in perniciem vertere poterat; eadem vero si quis neglecta neque a fama prorsus abstinendum censeret, modo ne in luxuriam delaberetur, tantum aberat ut vituperationi locum daret, ut ea ipsa re fortitudinem cum prudentia coniunxisse videretur, eamque laudem nunc Agricolae a genere suo impertiri arbitror. Neque enim illud tantum hic agit, ut humanas in socero virtutes laudet, sed ut civilis quoque prudentiae tenorem praedicet, quo is in tanta temporum iniquitate medio inter temeritatem et pusillanimitatem tramite nec sibi nec rei publicae defuerit; quod si abundantia non tam ad insanam opum ostentationem quam ad illud ambitionis genus spectat, quo multi tum, ut Persius ait (Sat. V, 178) cicer large ingerebant populo, ut Floralia sua aprici senes meminisse possent, nec rationi ethicam magis quam politicam vim tribuimus, quae in cavenda imperatoris invidia ac suspicione cernatur. Hanc autem vel sapientiae verae studiis contrariam

esse potuisse ostendunt verba ex cap. 4 allata; nihil igitur obstat quominus Tacitus socerum hoc ipso nomine laudet, quod talem rationem, quamvis et ipse plerumque sequeretur, ibi tamen, ubi famae discrimen ageretur, transgredi non dubitaverit ludosque lautiores et magnificentiores instituerit, quam anxius et sollicitus imperatoriae voluntatis captator fecisset, illud tantum curans, ne dum famae consuleret, abundantia et profusione in luxuriae reprehensionem incurreret.

## VIII.

In Luciani Hermotimo c. 60 quod olim ad librum de Hist. consecr. p. 319 legendum conieci *τηνάλλως* pro *καὶ ἄλλως*, etiam nunc teneo; nam quod Geistius (ausgewählte Schrifteu Lucians, Darmst. 1840. 8, p. XX) me praetervidisſe arguit, hanc coniecturam cum Fritzschiana *περίης* non coire, brevitatem meam perperam intellexit, qua illud potius declarare volebam, locum nostra coniectura facilius quam Fritzschiana sanari; ipsam vero emendationem tantum abest ut refellerit, ut propter eam ipsam causam *τηνάλλως* legendum sit, quia *καὶ* non ut ille vult amplificando *ἄλλως* inservire potest, sed si quid amplificationis opus est, ipsa illa forma *τηνάλλως* hanc praebet; cf. Ast. ad Plat. Leg. p. 88 et Schaefer. ad Dionys. de Compos. p. 230. Confusio autem articuli et particulae *καὶ* adeo frequens est, ut vix lenior correctio cogitari possit. Sic praeter ea exempla, quae illic iam enumeravi, Godofr. Hermannus in fragmento Sophoclis apud Schol. Aristoph. Nub. 1165 pro *Πανσανίαν καὶ Ἄτρείδαν* commode restituit *πανσανίαν τὸν Ἄτρείδᾶν*, rectius certe quam Dindorfius *κατ' Ἄτρείδᾶν*, nec dubito quin iure suo Fritzschius in Ind. lect. Rostoch. hibern. 1832 apud Poll. II, 56 correxerit *Ἀριστοφάνης δὲ καὶ βλέπος ἐκάλεσε τὴν βλέψησιν* pro *καὶ βλέψησιν*, quod et a comico sermone et haud scio an etiam ab Attico abhorret; item Reisigius Enarr. Soph. Oed. Colon. p. XXII apud Schol. Iliad. A. 376 scribendum esse vidit *ἐξέβαλε Πολυνεΐκην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν πρεσβύτερον*

pro *καὶ* *πρεσβύτερον*: eademque causa est Antonii Diog. apud Phot. Bibl. CLXVI, p. 109, ubi *Πυθαγόρου καὶ Μνησαόρου* legitur pro *τοῦ*, et Strab. VII, p. 291, ubi iam Casaubonus pro *Σεγμοῦντος καὶ Σεγέστου νιὸς* articulum restitui iussit; postremo Theonis Progymn. 3, p. 173 Walz., ubi quamvis Grauertus de Aesopo p. 70 nescio quid symbolici in Cilicis nomine invenire sibi visus est, certatim et antiqui et recentiores pro *Κόννης καὶ Κιλιξ* reposuerunt ὁ *Κιλιξ*. Platoni quoque Gorg. p. 465 B, ubi vulgo haec leguntur: *σχήμασι καὶ χρώμασι καὶ λειότητι καὶ αἰσθήσει ἀπαιτῶσα*, neque ita medendum arbitror, ut Corae suadente nuper Stallbaumius et Turicenses ediderunt *ἔσθήσει*, neque ut Daehnius de aliquibus Platonis locis, Lips. 1829. 4, p. 18 quamvis propior veritati *αἰσθήσεις* legendum suavit, sed simplicissima pariter et paratissima emendatione *τὴν αἰσθησιν*; neque apud Pausan. VIII, 52, 2 reponere cum Schubarto dubito τὸ *Ἑλλήνων μισθοφορικὸν τὸ ἐν Πέρσαις* pro *καὶ ἐν Πέρσαις*: immo vel postpositivus qui dicitur articulus sive pronomen relativum in *καὶ* transit apud Arat. Phaenom. v. 240, ubi recte Vossius:

*welcher zumest von dem frischabsausenden Boreas fühlet,*  
modo idem in Graecis quoque ὅς pro *καὶ* correxisset. Vicissim articulus pro copula irrepsit apud Tatian. adv. Graecos c. 48, ubi quod in Codd. est *Μεγακλείδης τε ὁ Χαμαιλαιέων οἱ Περιπατητικοί*, dudum viri docti emendarunt *καὶ Χαμαιλαιέων*, cf. Duker. de Simonide p. 6; eodem vero exemplo apud Artemid. Onirocrit. II, 37, p. 217 Reiff. pro *Ἐρμῆς τετραγώνος ὁ σφηνοπύγων φιλολόγοις μόνον συμφέρει* corrigendum est *καὶ σφηνοπύγων*; neque aliena est dittographia apud Plutarch. V. Pelopid. c. 1: ubi quum alii legant *καὶ τὸ μὴ πολλοῦ ἄξιον τὸ ζῆν νομίζειν*, alii autem *καὶ* omittant, mihi olim solum *καὶ* scriptum fuisse videtur, quo in τὸ corrupto alii utramque vocem in ordinem receperunt. Illius denique corruptelae, qua ibidem ad Lucian. *καὶ* et ὡς haud raro permutari dixi nova exempla suppetunt apud Arsen. Violet. p. 462, ubi procul dubio legendum est *φιλοτιμοῦνται καὶ Μεμ-*

φῦται τοῖς τῆς Ἰσίδος πλοκάμοις, et Diogen. Laert. VI, 70, quem ita demum perspicuitati reddes, ut pro ὡς περὶ τὴν ψυχὴν corrigas καὶ περὶ τὴν ψυχὴν καὶ περὶ τὸ σῶμα: plura dabunt Iacobs. in Act. Philol. Monac. T. II, p. 443 et Iacob. ad Lucian. Alexand. p. 24.

## IX.

Incredibilia narrat Heraclides Ponticus Rerumpubl. c. 2, Lycurgum in Samo insula obiisse; quod non ideo tantum incredibile dico, quia ab aliis longe alia de eius morte traduntur, sed etiam quia eo ordine narratur, ubi mortis mentionem neque exspectes neque concoquas. Haec enim verba sunt fere in capitis principio: *Αυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε καὶ Ὀμήρου ποίησιν παρὰ τῶν ἀπογόνων Κρεωφύλου λαβῶν πρῶτος διεκόμισεν εἰς Πελοπόννησον, καταλαβὼν δὲ πολλὴν ἀνομίαν ἐν τῇ πατρίδι καὶ τὸν Χάριλλον τυραννικῶς ἄρχοντα μετέστησε καὶ κοινὸν ἀγαθὸν τὰς ἐκεχειρίας κατέστησε*: quae si ad literam urgemus, Lycurgus in Samo mortuus est, priusquam leges tulit, vel si maxime hysteron proteron inepto epitomatori condonemus, hoc tamen clarum erit, mortis eius mentionem ita tantum excusari posse, si paulo ante mortem, quam in Samo obierit, Homeri carmina a Creophyli posteris accepta Lacedaemoniis tradiderit. At enim longe alia de harum ipsarum rerum serie narrant veteres apud Plutarch. V. Lycurg. c. 4, nimirum statim post fratris mortem nato nepote iter ingressum esse inque eo itinere Homeri carmina nactum ipsum Spartam reportasse; quod sive in Samo sive in Chio sive quocunque alio in loco factum statuimus (cf. Welcker. ep. Cycl. p. 222—225), cum morte Lycurgi nihil commune habet, sed ad solum hospitium pertinet, quo illic exceptus esse et Ionum mores didicisse traditur. De morte hominis quae inter veteres narrabantur, his verbis comprehendit doctissimus auctor Plutarchus c. 31: *τελευτῆσαι δὲ τὸν Αυκοῦργον οἱ μὲν ἐν Κίρῳ λέγουσιν, Ἀπολλόθεμις δὲ εἰς Ἕλιν κομισθέντα, Τίμαιος δὲ καὶ Ἀριστοῦξενος ἐν Κρήτῃ καταβιώσαντα· καὶ*

τάφον Ἀριστόξενος αὐτοῦ δείκνυσθαι φησιν ὑπὸ Κρητῶν τῆς Περγαμίας περὶ τὴν ξενικὴν ὁδόν: de Samo nihil, quod si reverà Heraclides tradidisset, Plutarchi silentium eo maiorem admirationem faceret, quia ipse Heraclidis testimonio et in Solonis vita et in aliis locis identidem utitur. Quid igitur agamus? Num integro libello fidem abiudicabimus? Minime vero; cuius etsi quae nunc cernitur forma sero compilatori debeatur (cf. Welcker. Rh. Mus. T. V, p. 113 sqq.), fons tamen et genuinus et praestantissimus inter veteres auctores est habendus, adeoque vel nunc multa continet, quae tanta eruditione excellunt, ut tam futilem narrationem iuxta se relinqui neuliquam patiantur. Quidquid igitur offendit, librario tribuo, qui ἐτελεύτησε scripsit pro ἐπεδήμησε, solèmi de veterum sapientum peregrinationibus vocabulo, de quo egi in Prooem. Ind. Lect. Marb. 1836, p. IX; quo restituto nihil aliud Heraclides narrabit, quam quod toti orationis tenori quam maxime conveniat, Lycurgum iter facientem in Samum venisse ibique per aliquod tempus commoratum esse. Mutationem autem levissimam esse quivis videt, quum π et τ, δ et λ facillime inter se confundantur, nec literarum ημ et εντ ductus in vetere scribendi genere adeo differant, ut librarius ab errore tutus fuerit, qui ubi semel ἐτελήμησε scripserat, reliqua vel ex coniectura mutari poterant.

## X.

In Sophoclis Oed. Col. v. 330 certissima est Musgravii emendatio, quam recentiores quoque certatim secuti sunt, verbis ὦ σπέρμ' ὄμαιμον, ὦ δυσάθλιαι τροφαί, post πρόσψαυσον ὦ παῖ — θιγγάνω δυοῖν ὄμοῦ transpositis, quae ideo tantum a librariis permutata esse videntur, quia sequentia ἢ τῆςδε κάμοῦ ad δυοῖν referebant, etsi hac in constructione Ismenae responsum δυσμόρου δ' ἐμοῦ τρίτης ineptissime accessurum esset. Neque tamen hoc artificio persanatum esse locum arbitror, neque arbitratus est Frid. Jul. Wilke in Coniectan. spec. Berol. 1840. 8. p. 19, cuius licet ipsa coniectura

ἔ τῆςδε κάμου̃ praeter languorem ne solitam quidem interiectionis iterationem servel, hoc tamen recte intellexit, nondum a quoquam satis explicatum esse, quomodo Oedipus auditis verbis: ὦ δυσάθλιαι τροφαί, ad eam potissimum quaestionem moveri potuerit, ut interrogaret, num de se et Antigona Ismena loqueretur. Accedit singularitas vocabuli δυσάθλιος, quod neque apud tragicos neque apud ullum alium probatum scriptorem legatur, eamque tautologiam contineat, quae vix comparatione eius quod est *δυστάλας* excusari posse videatur. *Τλῆναι* certe est sustinere; quod etsi per se iam miseriam significare potest, tamen ne propiorem quidem definitionem respuit, qua quis gravia sustinere dicatur; labores autem, unde ἄθλιος ductum est, semper graves sunt, neque magis *δυσάθλιος* dici posse videtur, quam *δυσπόνηρος* sive *δυσμόχθηρος*, quibus nihil aliud contineretur, nisi quod iam in simplicibus inest. Alia causa est *πόνων δυσπόνων* Antig. v. 1277, qui eodem exemplo dicuntur quo v. c. *μακροαίωνες βίοι* Aeschylō apud Plat. Republ. II, p. 383 B et Soph. Oed. Tyr. 518, *βίωτος εὐαίων* Trachin. 81, *ὑπεραλγῆς χόλος* Electr. 176, *δύσπνοοι πνοαί* Antig. 588, *εὐδειπνοὶ δαῖτες* Eurip. Med. 200 etc., ut notio attributiva, quae in vulgari sermone per simplex adiectivum cum substantivo aliquo iungenda sit, cum hoc ipso substantivo vel radice ei cognata ita componatur, ut nova inde epitheli species existat; neque aliter iudicandum est de *δυσπνεῖ καμάτῳ* Homer. Odyss. V, 493, cuius ne nominativum quidem exstare Eustathius testatur, vel de *πάθει δυσαχεῖ* apud Aesch. Eumen. 145, quod et ipsum pro *πάθει* vel *ἄχει κακῆ* dictum est; hac vero ratione ut ἄθλους *δυσάθλους* vel *μόχθους δυσμόχθους* dici potuisse concedam, *δυσαθλίους* Sophocli cum Maccabaeorum libro, unde solum praeterea eius vocis exemplum Dindorfius attulit, commune esse non patiar. Quid multa: scribendum est *δὲς ἄθλιαι*, quo simul etiam illud evitabitur, quod eundem Dindorfium merito offendit, ne *δυσαθλίαις* feminina forma poeta dixerit, ubi communem potius exspectari usus iubeat; hoc autem

reposito demum intelligetur, quo spectet Oedipi quaestio ἡ τῆςδε κάμου; nimirum ut duplex illa miseria, quam Ismena deploraverat, ad certas personas revocetur. Neque enim ita accipi velim illud δὲς, ut augendae modo exclamationi inseruiat, ut *terque quaterque beati* apud Virgilium aut *τρις ἄθλιοι* in ipsius illius Maccabaeorum loci varia lectione; sed eodem sensu ab Ismena dicitur, quo Oedipus modo filius *σπέρμα ὀμαιμον* dixerat, ut duplex Iocastae matrimonium deploretur, quo et patrem et filias educandas susceperit; quod tamen quum *τροφῶν* vocabulo obscurius significetur, Oedipus ad praesentem suum et Antigoniae aspectum referens interrogat, num se illamque dicat, donec Ismena se tertiam ad illorum miseriam accedere declarat. Prius enim maternam tantum condicionem respicit, cuius propriae sunt *τροφαί*, cf. Eurip. Orest. 549, Troad. 1177, Suppl. 1147 etc.; nunc autem sermone ad singulos liberos converso nihil obstat quominus se tertiam dicat, quam antea secundi matrimonii mentione una cum sorore comprehenderat. Quod autem recentiores inde a Marklando pro δὲ quod in codd. est τὲ restituerunt, haud scio an recte reprehenderit Ern. Aut. Ahrens de quibusdam locis Sophoclis et Aeschylī, Coburg. 1829. 8. p. 15 ex eadem lege quam ipse Godofr. Hermannus ad Oed. Col. v. 1396 verissime posuit, ne antegresso *καὶ* tertium membrum eiusdem ordinis per τὲ adiungatur; neque insolens est δὲ in responsione per ellipsin subiectum, ut apud Plat. Republ. VI, 7, p. 493: *ἡδη πάτοτέ του ἤκουσας αὐτῶν λόγον διδόντος οὐ καταγέλαστον; οἶμαι δὲ γε, ἡ δ' ὅς, οὐδ' ἀκούσομαι* est *immo ne auditurum quidem esse arbitror*, ubi antea supplendum est *οὐκ ἤκουσα*, ut nostro in loco *καὶ σφῶν ἀμφοῖν*. De facilitate denique emendationis ne verbum quidem fieri opus est, quae nec librorum prorsus adiumento destituitur, si quidem Elmsleius in Laur. A a priore manu fuisse *δισάθλιοι* testatur; unum addo, contraria ratione emendandum videri Aristophanis locum apud Aethen. VII, 137, p. 329 B:

*καὶ γὰρ πρότερον δις ἀνθηρακίδων ἄλμην πιών:*

quem sive antiqua varietate ex Vespis petatum statuimus sive cum Fritzschio in Ind. lect. Rostoch. 1832 ipsis Holcadibus reddimus, *δυσανθρακίδων* certe restituendum videtur. Fritzschi-  
schius audacior: *καὶ γὰρ ποτ' ἀνθρακίδων τις ἄλμυριαν πιών*:  
nostra emendatio, praeterquam quod codd. verba fere integra  
retinet, etiam tragici sermonis parodiam praese fert ut *Λυσε-*  
*λένα* Eurip. Orest. 1389, Iphig. Aul. 1316, *Δύσπαρις* Homer.  
Iliad. III, 39; XIII, 769 etc.

## XI.

Ibid. v. 1266 vulgo ita legebatur:

*καὶ μαρτυρῶ κάκιστος ἀνθρώπων τροφαῖς  
ταῖς σαῖσιν ἤκειν· τᾶλλα μὴ ᾽ξ ἄλλων πύθη,*

quae quum vix intelligi possent, pro *τᾶλλα* Brunckius *τοῦτο*,  
Musgravius faciliore mutatione *τάμά* scribendum proposuit,  
idemque et Reisigius, Elmsleius, Wunderus, Dindorfius asciverunt  
et Wexius (Beiträge zur Kritik des Sophokl. Oedipus auf Kolonos,  
Schwerin 1837. 4. p. 18) assensu suo comprobavit, postremo vel  
Hermannus, retractata quam antea proposuerat coniectura in  
novissima edit. a. 1841 in ordinem recepit. Mihi vero, quod pace  
tantorum virorum dixerim, mirum in modum languet haec oratio,  
qua Polynices ideo tantum haec se fateri diceret, ne ex aliis pater  
de se audiret; ut mittam *πυθάνεσθαι* de ea potius auditione dici,  
qua quis rem factam comperiat, non qua iudicium aliquod percipiat,  
quod quum nunc maxime locum habeat, *κλύης* potius quam  
*πύθη* exspectaverim. Nec tamen vel libri omnes in *πύθη* consentiunt,  
sed Aldina editio habet *πάθη*, quod etsi Reisigius et Dindorfius  
solo typographi errore ortum esse suspicantur, eadem proclivitate  
qua *πάθη* ex *πύθη* manifestum est etiam *πύθη* ex *πάθη* corrumpi  
potuisse; utque morem Reisigio geramus, qui monet, ne quis  
etiam typhetarum peccata pro fundamento novae coniecturae ponat,  
ipsa tamen codd. lectio non minus aptum fundamentum praebet,  
cui emendationem *πάθη* superstruamus. Atque haec iam Hermanni

ratio fuit; qua in reliquum verborum ordinem illata haec sententiam nancisci sibi videbatur; *et testor me pessimum hominem vitae tuae venisse ad reliqua non ab aliis tibi illata mala*; eam tamen quum ipse iam, ut dixi, abiecerit, nec nos amplius in ea examinanda immorabimur, sed ita tantum ea utemur, ut longius etiam progressi haec potius Polynicem subiecissem suspicemur:

ἄλλα μοι ἤ ἄλλων πάθη.

Quanquam audacia huius emendationis profecto non maior est quam in Musgravii conamine, sententia vero longe melior, ut Polynices ad reliqua sua mala etiam hoc accedere dicat, quod se indignissime circa patris victum cultumque egisse intelligat. Sic Leonidas Tarent. Epigr. LV, 2:

ἄλλην ἔξ ἄλλης εἰς χθόν' ἀλινδόμενος,

ut Plato Politic. p. 289 E: πόλιν ἐκ πόλεως ἀλλάττοντες; idemque Leg. VII, p. 776 B: τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἔξ ἄλλων; unum igitur malum alterum quasi excipere, aliud ex alio prodire ait, idque etiam iis respondet, quae paulo antea dixerat v. 1254:

οἴμοι τί δράσω; πότερα τὰ μαινοῦ κακὰ

ἢ πρόσθεν δακρύσω, παῖδες, ἢ τὰ τοῦδ' ὄρω;

Venerat enim eo consilio, ut de exilio suo conquereretur patrisque auxilium contra fratrem imploraret; propius autem accedens eam patris fortunam esse videt, ut non minus ipsius quam fratris in hunc crimen appareat; hoc igitur novum malum superioribus supervenit, cui nulla medela parata est, nisi veniam a patre accipere contigerit, eoque modo etiam ad sequentia commodissimus transitus fit, quo etsi nec vulgaris lectio caret, parenthesis tamen, quo viri docti confugere coacti sunt, hunc ipsum sententiarum nexum praeter ullam necessitatem interrumpit.

## XII.

Variis eruditorum conatibus tentatus est locus Aristophanis Nub. v. 519, ex quo primum Welckeri acumen in

interpr. Germanica p. 146 intellexit πρώτους oppositum requirere; quod quia frustra quaerebant, certatim ad emendationes confugerunt. Et Godofr. Hermannus in edit. a. 1833. p. XXXII πρώτως legi iussit, ut cum antecedentibus καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν iunctum huic fabulae ab ipso poeta primas secundum sapientiam delatas esse declararet; Fritzschius vero in Act. Societ. Gr. T. I, p. 128 πρώτος legi maluit, hac explicatione addita: οὕτως ἤξιῶσα ἀναγεῦσαι ὑμᾶς, ὥστε πρώτος εἶναι h. e. ita vobis Nubes primas quasi aliquem cibum apponere visus sum, ut omnium primus fierem; Bergkiius denique inserta litera τ vitium natum esse ratus, primum in Aristoph. Fragm. p. 920 πρώτος legendum coniecit, quasi conquereretur poeta, quod ninis mature et iusto citius Atheniensibus, qui eiusmodi comoedias tunc non satis intelligere valuerint, Nubes exhibuerit, mox autem ipse in contrariam sententiam conversus in huius Musei T. I, p. 91 πρώας substituit, ut Aristophanes se maturam, h. e. non rudem et inchoatam, sed maxima diligentia et arte elaboratam et perfectam fabulam in medium protulisse iactaret, quo facto etiam ἀναγεῦσαι genitivum, quem necessario requirat, asciscere ait. At ut hinc primum ordiar, vereor ne vir ingeniosissimus Latini sermonis ambiguitate inductus vocabulo πρώος significationem tribuerit, quam nunquam habere possit; quamvis enim πρώον maturum dicere liceat, siquidem hoc significat, quod mane vel omnino temperi sive tempestive fiat, eam tamen maturitatem, quae aetate confirmata et muneris suis absoluta continetur, ωραίαν potius quam πρώαν Graecos dixisse constat; quod si vel maxime πρώας legendum esset, ad illam potius significationem remitteret, ut fabula nimis matura hoc est ante iustum perfectionis tempus scenae commissa fuerit. Id vero et ipse Bergkiius intellexit repugnare iis, quae proxime sequuntur, ἢ παρέσχε μοι ἔργον πλεῖστον, nec verbum ἀναγεύειν pati videtur, quod nisi temere compositum statuimus, non ad priorem sed ad alteram tantum fabulae commissionem spectare potest, qua velut iterum gustandam

poeta Atheniensibus exhibere volebat; genitivo autem post antecedentem accusativum, quo relatio verbi satis intelligitur, non magis indigebimus, quam dativo apud Plat. Phaedr. p. 228 E: ἐμαντόν σοι ἐμμελεῖάν παρέχειν οὐ πάνυ δέδοκται scil. ἐμοί, vel in ipsa nostra fabula 421: οὐνεκα τούτων ἐπιχαλκεῖν παρέχοιμι' ἄν, ubi pronomen, quod ad παρέχειν pro obiecto supplendum est, simul etiam ad ἐπιχαλκεῖν pro dativo refertur. Nec tamen etiam de Fritzschi opinionione benignius iudicare possum, cui si vel eum verbi usum concederem, ut ad priorem commissionem spectare posset, prolepsis tamen, qua id quod est πρώτος praedicativa vi ad effectum commissionis refert, adeo immanis est, ut ne σοφώτατον quidem inter spectatores Atticos eam intellecturum fuisse arbitrer; immo si quis facilitate emendationis motus in ea perstiterit, ipsum πρώτος hoc tantum significare poterit, primum hoc ausum esse poetam, ut quamvis repudiatam et infimo praemio affectam fabulam interna eius praestantia fretus iterum in scenam produceret. Verum enim vero nec hac nos correctura indigere arbitror nec Hermanniana, cui quod olim in Allgem. Schulzeitung 1833, p. 742 oblocutus sum, nunc quoque ea modo tenus retracto, ut ἀναγεῖναι ad alteram commissionem, cui parabasis scripta est, referam; hac ipsa autem interpretatione cum iis coniuncta, quae iuvenile Welckeri ingenium etsi non peregit, attamen per transennam quasi divi-navit, talem vulgatae sententiam tribui posse arbitror, quae et sermonis legibus et reliquo parabasis argumento quam maxime respondeat. Ita enim Welckerus: *man sieht nicht recht ein, welchem Publicum Aristophanes die Wolken vor den Athenern hätte geben können; wären sie an den Lenäen gegeben worden, wo keine Fremde zugelassen wurden, so hätte die Stelle noch Sinn*; qua in sententia hoc saltem recte intellexit Dionysiis magnis, quibus multi Atheniensium socii et peregrini intererant, Lenaea opponi potuisse, quibus propter iniquam anni tempestatem fere solis Atticis in theatro adesse licebat; cf. Acharn. v. 509:

*αὐτοῖ γάρ ἔσμεν οὐπὶ Ἀθηναίῳ τ' ἀγών:*

quod etsi priores Nubes magnis Dionysiis actam esse constat, alterae tamen, quo *ἀναγεῦσαι* spectare dixi, Lenaeis parari poterant, nec nisi hac verbi interpretatione opus est, ut id quod Welckerus de priore commissione dici potuisse recte negavit, sine ulla difficultate ad alteram, quam Aristophanes destinaverat, transferamus. Hoc igitur artificio poeta spectantium benevolentiam captat, simulque arrogantiam excusat, qua fabulam explosam iterum spectandam praebere audeat, ut omnem culpam in magna Dionysia coniciat, quorum in frequentia nativam Atticorum sapientiam ab ineptae multitudinis iudicio obscuratam esse significat, ut nihil mirum sit se quamvis maxima in hanc fabulam opera collata pinguibus aemulorum facetiis superari potuisse; nunc autem, quum eandem iterum gustandam praebat, cautius se agere primisque eam Atheniensibus ipsis proponere ait, quorum et benevolentiam et intelligentiam iam antea identidem ita expertus sit, ut piaculum sibi commissurus esse videatur, si peregrinae turbae imbecillitate deterritus ipsorum dexteritati desit. Qua in sententia sive cum Hermanno v. 523 *ὑμᾶς* legerimus, prorsus apparebit Athenienses tanquam *δεξιούς* peregrinis opponi, sive *ὑμῶν* retinuerimus, ne sic quidem dubitari poterit, quin poeta serio eos, quibus hanc iterationem potissimum destinet, ab aliorum insipientia distinguat; cf. Ed. Mülleri *Gesch. d. Theorie d. Kunst bei den Alten*, T. I, p. 253; simul autem ea quoque illustrantur, quae in sequentibus v. 524 sqq. de Daetalensium editione dicit:

*ἔξ ὅτου γάρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν*

*ὁ σώφρων τε χῶ καταλύγων ἄριστ' ἤκουσάτην,*

quam fabulam quum iam Rankius de Aristoph. vita p. CCCXX et Fritzschius de Daetalensibus p. 9, astipulante etiam Bergkio ad Aristoph. fragm. p. 1021 Lenaeis actam esse suspicati sint, haud scio an haec ipsa suspicio maximam inde confirmationem accipiat, quod viri illi, coram quibus verba facere dulce sit, vix alii praeter indigenas Atticos in Lenaeo congre-

gatos esse possunt. Neque illud nobis opponi posse arbitror, in hac interpretatione *προτιέρους* pro *πρώτους* scribendum fuisse, aut hoc certe ex illa voce sequi, ut Aristophanes, quum Lenaeis fabulam iterum edendam destinaret, iam etiam de tertia quartave reproductione coram maiore multitudine cogitaverit: superlativum enim pro comparativo nec Graecus nec Latinus sermo ignorat, praesertim ubi res, de qua agitur, non uni alicui ex aliis, sed cum hac simul etiam omnibus reliquis praefertur; hoc autem concesso non difficilium fuerit ei quod est *πρώτους* eodem modo significationem *μάλιστα* tribui, quo alibi *πρότερον* pro *μᾶλλον* dici constat, ut non tam temporis quam dignitatis atque existimationis ordinem significet: *vos maxime dignos habui sive nullos potiores iudicavi, quorum intelligentiae in iterata hac commissione considerem.* Quamquam sic quoque temporis significatio inesse potest, quo Lenaea magnis Dionysiis antecessisse constat: *nolui magna Dionysia exspectare, sed Lenaeis edidi, quia his vestra tantum iudicia fore praevidebam, quorum dexteritas fabulae meae praestantiam aequaret; nec si vel maxime numeralem vim urgeamus, omnibus quae prima dicuntur, etiam secunda vel tertia subiungi necesse est, sed ea significatio sufficit, ut nihil antecesserit, quod cum iis, de quibus agitur, de primatu ambigere possit; quod si hoc tantum dicit, se iteratam editionem primis Atheniensibus committere voluisse, ceteros quibus hi opponuntur, excludi potius quam subsequi consentaneum est.*

---

## Mythologisches.

---

### Ueber thebanische Göttersysteme.

Im ersten Chor der Sieben gegen Theben des Aeschylos werden als thebanische Schutzgötter genannt und angerufen: Pallas und Poseidon, Ares und Aphrodite, Apollo und Artemis, ferner